

**Protesta de En Conesa
contra la sentencia condenando las obras
de Arnaldo de Vilanova.**

Noverint universi quod die veneris que dicebatur et computabatur sexto kalendas Decembris anno Domini M.CCC.XVI. discretus vir Raymundus Conesa prepositus heleemosine valentine et manumissor et exequor ultimi testamenti venerabilis *magistri Arnaldi de Vilanova* quondam et administrator bonorum que fuerunt ejusdem ac procurator *magistri Petri de Vilanova* nepotis quondam dicti *magistri Arnaldi*, per me *Jacobum Martini* notarium publicum Valentie coram Reverendo patre domino domino Raymundo divina miseratione Episcopo Valentino, in presentia notarii et testium infrascriptorum ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum, legi et publicari fecit quamdam scripturam hujusmodi continentem: In presentia me notarii et testium infrascriptorum ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum Vobis Reverendo in Christo patri Domino Raymundo divina miseratione Episcopo Valentino, ego Raymundus Conesa prepositus heleemosine Sedis Valentie ac manumissor seu exequor ultimi testamenti venerabilis *magistri Arnaldi de Vilanova* quondam et administrator bonorum ejus, nomine dicte manumissorie et administrationis, ac nomine procuratoris *magistri Petri de Vilanova* nepotis dicti *magistri Arnaldi*, notifico et notificando demonstro, noviter ad meam audientiam pervenisse, quod frater *Bernardus Duran* de Ordine fratrum predicatorum die proxime preterita in ecclesia beate Katerine in civitate Valentie et in sermone publico coram omni populo inibi congregato propalavit, manifestavit et publicavit quod quidam processus fuit noviter factus in ecclesia Terrachonensi per prepositum, eundemque vicarium Terrachonensem dicta sede vacante ad requisitionem vel instantiam quorundam fratrum predicatorum et minorum

vel aliorum, in quo quidem processu sunt condemnata quedam opera dicti *magistri Arnaldi*, nominando et specificando dicta opera: quare affirmavit dictus frater *Bernardus*, quod quicumque amodo teneret dicta opera, esset excommunicatus et quod hoc specialiter volebat ibi publicare et dicere quia erat certus quod multi et precipue de mercatoribus inibi assistentes intelligebant eum, et sic generaliter omnes informavit ne predicta opera tenerent nec in eis legerent, nec ea modo aliquo pertractarent. Unde cum predictus processus, si quis factus fuit contra opera dicti *magistri Arnaldi*, fuerit *juri contrarius et a non suo iudice factus*, cum stimare super fide vel questione fidei ad solum Christi Vicarium et succesorem beatri *Petri* pertineat, idest ad Summum Pontificem, ut legitur in corpore decre-

torum xx . IIII . questione prima . c . *quotiens*, et notatur expresse . Lxxx . distinctione . c . II . et causa fidei inter majores causas connumeretur quas summus pontifex sibi specialiter reservavit, ut predicta leguntur extravag. de translat, Episcopi vel electi . c . primo . extrav. de officio legati . c . quod translationem. extrav. de baptismo et ejus effectu . c . majores, cum multis aliis et similibus. Sic etiam et fuerit dictus processus, si quis factus est, non modicum temerarius utpote contra inhibitiones de expresa consciencia recolende memorie domini Clementis pape V. factas per reverendos in Christo patres dominum *Bernardum* presbiterum cardinalem tunc Summi Pontificis penitentiarium, nec non dominum A. episcopum pictaven. tunc ejusdem summi pontificis camerarium, in quorum litteris fit mentio qualiter dictus Summus Pontifex opera edita per dictum magistrum *Arnaldum* et *presentata per eundem* admisit, precepit asservari et suo et *apostolice Sedis examini reservavit*, cum predictus magister *Arnaldus* sponte motu proprio se et dicta opera subjecisset examini apostolice sanctitatis et sedis ejusdem. Ex quibus colligitur in aperto quod publicatio et manifestatio dicti iniqui processus facta per dictum fratrem *Bernardum* fuit valde teme-

raria, illicita et inonesta, additis etiam hiis rationibus videlicet, quod a dicto processu per venerabilem Petrum de Montemolone commanumissorem meum et Bernardum Cacia iudicem curie domini Regis, specialem amicum dicti magistri et veritatis evangelice, a latore *fuit ad Sedem apostolicam appellatum*. Et sic pendente appellatione, utroque jure prohibente, tam canonico quam civili, nichil debuit innovari. Immo per appellationem pronunciatum extinguitur. Preterea audacia et temeritas fuit non modica dicti fratris, cum ipse non sit ordinarius, nec de mandato ordinarii predicta publicasset. Cum publicatio talium vel consimilium processuum, nec alias legitime facti, essent ad ordinarium vel ad alium de mandato ejus, noscatur proculdubio pertinere. Unde cum novis morbis nova sunt antidota preparanda et novum factum novum requirat consilium, Idcirco ego dictus Raymundus Conesa, nominibus quibus supra facio vobis dicto Reverendo patri domino Raymundo Episcopo Valentino fidem de litteris dictorum Reverendorum Cardinalis et Episcopi sub formam que sequitur.

Berengarius, Domini permissione, sacrosante Romane ecclesie presbiter Cardinalis, dilectis in Christo inquisitoribus in dominio illustris Regis Aragonum constitutis salutem in domino sempiternam. Cum venerabilis vir magister Arnaldus de Vilanova opera que edidit super evangelica veritate latina lingua Sanctissimo Patri domino nostro Summo Pontifici apud Burdegalam presentaverit, nobis presentibus, cum adhuc presideremus ecclesie Biterrensi, et idem dominus noster ea receperit et suo ac Sedis apostolice iudicio et examini reservaverit, de eisdem post diligentem examinationem ordinaturus quod fuerit rationis, sententias per vos vel per alterum vestrum contra eadem opera seu tenentes ea ipsorum occasione promulgatas in quoscumque, Nos autem dicti domini nostri cujus penitentiarie curiam gerimus et de ejus speciali mandato, vive vocis oraculo nobis facto, et duximus relaxandas. Mandantes nichilominus auctoritate predicta Rectori eccle-

sie Muriveteris seu ejus Vicario vel locum tenenti per presentes, quatinus Gombaldum de Pilis vicinum dicti loci quem per procuratorem ipsius ad hoc speciale mandatum habentem licet absentem ad cautelam absolvimus juxta formam ecclesie consuetam, ab omnibus tam juris quam iudicis sententiis quibus denunciatus fuerat excommunicatus per fratrem Guillelmum de Caucolibero dicente se inquisitorem in toto dominio dicti Regis Aragonum, quacumque occasione seu causa denunciaret absolutum. Inhibentes insuper ne quisquam vestrum contra opera vel tenentes ea ipsorum operum occasione quisquam attemptare presumat donec idem dominus noster de cujus certa et expressa sciencia et mandato hec omnia fecimus aliud de supradictis operibus duxerit ordinandum. Datum Lugduni die sabbati post festum beate lucie virginis, anno Domini. M.CCC. quinto, Pontificatus domini Clementis Pape quinti, anno primo. Et quia sigillum Cardinalatus nostri nondum habebamus, sigillo nostro secreto pendente presentes litteras duximus roborandas.

Littere dicti Reverendi domini Arnaldi Episcopi pictavenensis sunt inserte in quodam publico instrumento scripto et signato per Johannem de areis notarium publicum Marsilie ac comitatum prouincie et forche (?) anno incarnationis domini nostri Jesuchristi. M.CCC.XI. indictione. X. xij. Kalendas februaryi hora circa vespas, tenor quarum litterarum dinoscitur esse talis:

Arnaldus dei et apostolice sedis gratia Episcopus pictavenensis domini nostri summi pontificis camerarius. Religioso viro fratri Michaeli ordinis fratrum minorum in aquensi provincia et aliis inquisitoribus heretice pravitatis ubicumque constitutis et quibusvis aliis ad quos presentes littere pervenerint, Salutem in domino. Cum olim magister Arnaldus de Vilanova phisicus dum adhuc viveret se ipsum et omnes scripturas per eum editas examinationi, discussioni et iudicio sedis apostolice motu proprio exabundante et sponte subjecerit, universitati vestre et vestrum

singulis de consciencia domini nostri summi Pontificis districte precipiendo mandamus, quatinus omnes scripturas ejusdem magistri Arnaldi quondam maxime sacram scripturam tangentes que ad vos seu vestrum aliquos quomodolibet pervenisse noscuntur nil eis detracto vel quomodolibet diminuto *Bernardo Oliverii dicti magistri Arnaldi consanguineo* et *Johanni de monte ulini domini pape confessori* presentium latoribus, quos propter hoc ad vos specialiter destinamus, per eos ad nos postmodum defferendas et deinde per nos assignandas eidem domino nostro omni mora et occasione seu excusatione postpositis exhibere curetis, nullam eidem Bernardo in persona vel rebus injuriam seu violentiam aut novitatem quamcumque occasione vel causa quomodolibet inferendo. Datis vienne die xxj.^a, mensis Decembris Pontificatus sanctissimi patris et domini nostri Clementis pape quinti anno septimo (1311).

Et facta fide de predictis litteris requiro vos Reverendum patrem vestrumque officium humiliter implorando, quatenus statim et incontinenti, cum periculum sit in mora, et propter vestrum proximum recessum a civitate et regno valentie, ut dicitur, et ne malicia dicti fratris et consimilium possit contra Deum et justitiam in posterum nimium pullulare, faciatis dictas litteras per universas dioecesis vestre ecclesias maxime principales publicari diebus dominicis et festivis, et quod rectores ecclesiarum vel eorum vicarii admoneant suis populis ne aliqua sinistra de operibus dicti magistri credant vel modo aliquo presumere audeant, donec per sedem apostolicam quorum omnium catholicorum mater est et magistra et ad quam solam, ut dictum est, de questionibus fidei pertinet judicare, quid super dictis operibus sentiendum fuerit judicatum. Inhibeatis etiam dicto fratri Bernardi Durani et quibuscumque aliis cujuscumque ordinis et status sint publice predicantibus, ne dictis operibus detrahendo predictum processum tamquam temerarium, tamquam iniquum et factum contra juris formam et rationis, alicubi audeant publicare, precipiendo etiam dicto fratri Bernardo publicatori temerario,

ut quod publice et temerarie attemptavit, publice et honeste debeat revocare, ut publice offense publica respondeat penitentia seu vindicta. Debeat etiam vos certificare cum dicto fratre super hiis que dixit in predicto sermone, quatenus predictum negotium tangunt, et quod ejus assertionem in scripturam publicam redigi faciatis ut de dictis ejus temerarie prolatis coram summo pontifice vel auditore per ipsum concedendo haberi valeat plena fides. Et supradictis omnibus et singulis eorundem, Ego dictus Raymundus nominibus quibus supra cum magna instantia postulo et requiro, ut vos Reverende Pater sitis sollicitus et intentus circa eorum executionem, taliter vos habendo, quod de injustitia seu negligentia non possitis modo aliquo inculpari. Alias protestor quod vos eritis in culpa de dicta temeritate et de quacumque etiam futura que per dictum fratrem et quoscumque alios cujuscumque status sint publice predicantes in prejudicium dictorum operum dicti magistri Arnaldi et fame ejus comissa est et postmodum comitteretur: possitis etiam de negligentia per Summum Pontificem reprehendi, similiter et puniri. Et ad memoriam premissorum nec non ad conservationem dictorum operum et ea tenentium et fame dicti magistri requiro vos notarium infrascriptum ut de predictis omnibus fiat publicum instrumentum. *Et dictus dominus Episcopus dixit*, quod ipse ratione consecrationis noviter faciende de electo dertusensi ad quam vocatus extitit, est recessurus a civitate Valentie et dioecesi ejusdem die crastina. Et sic supra dictis non potest ad presens comode respondere, dixit tamen quod ex predictis fieret sibi transumptum et faciet super predictis quod de jure fuerit faciendum. Quod est actum Valentie in palatio dicti domini episcopi die et anno in prima linea contentis.

Testes hujus rei sunt Guillelmus de Valleviridi canonicus Valentie, Petrus de Celma et magister Laurentius Benedicti phisicus et Arnaldus mercerii officialis valentinus et Bernardus de Medalia rector ecclesie Cullarie et quamplurimi alii.

Sig. X num Jacobi Martini notarii publici Valentie qui predictis omnibus una cum testibus supradictis interfui eademque ad instantiam et requisitionem dicti Raymundi Conesa prepositi manumissoris et administratoris predicti scribi fecit legit et publicavit et in formam publicam redegit et clausit die et anno in prima linea et loco in penultima linea contentis.

PÍO RAJNA

A RONCISVALLE

ALCUNE OSSERVAZIONI TOPOGRAFICHE

IN SERVIZIO DELLA

CHANSON DE ROLAND

Le poche osservazioni che qui mi faccio ad esporre avrebber dovuto esser messe in iscritto diciott'anni addietro, quando erano per me recenti i ricordi di una visita ai luoghi, cui la «dolorosa rotta» della «santa gesta» ha dato una celebrità non facilmente uguagliabile. Ma poichè, nonostante il tempo trascorso, le immagini mi si presentano ancora distinte, e poichè alla memoria vengono in aiuto gli appunti presi sul posto, credo non sia ancor troppo tardi per rimediare all' omissione. Forse le parole mie saranno di stimolo ad altri romanisti; ed io non continuerò ad essere il solo, o pressochè il solo, che si sia messo a leggere la *Chanson de Roland* in Roncisvalle, sotto un rovere, al piede del Convento, là dove di certo, stando alla leggenda, più accanita devremmo immaginare la mischia, e il suolo dovrebb' essersi maggiormente impinguato di cadaveri cristiani e saracini.

Scene feroci conviene raffigurarsi là dove ogni cosa parla il linguaggio dell' idillio. Gli occhi spaziano sopra un vasto piano ellittico, tutto verdeggiantе d' alberi e praterie, circondato per ogni parte da alture, erbose e boschive del pari dal piede alla vetta, alle quali, l' essere noi qui già all' altezza di 980 metri all' incirca sul mare dà aspetto di colline più che di monti. Per quelle praterie s' aggirano tintinnando numerose vacche; sulle alture van